



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu quæstitione
spoliationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu quaestione spoliationis?

Colligitur responsio ex *c. Cum dilectus. 2. h. t.* ubi Pontifex dicit: Si reus contra actorem spoliatores agentem super spolio, vicissim spoliationem objiciat, distinguendum esse, utrum quaestio spoliationis per modum actionis proposita fuerit, ad restitutionem perendam; vel utrum proposita fuerit per modum exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam. Prius si fiat, censentur mutuae actiones, siue conventio & reconventio, & juxta modum mutuarum talium petitionum pariter tractandae, & una sententia terminandae sunt, ita tamen, ut in conventionem semper priorem locum habeat conventionis causa, quae prius in iudicium deducta fuit; si vero per modum exceptionis opponatur spoliatio ad impediendum, vel differendum processum judicarium, donec restitutio facta sit, prius de exceptione spoliarii, vel de dilatoria exceptione, quam de causa principali cognoscendum est, cum reus in tali casu non teneatur actori responderi, priusquam restitutio facta sit. *c. ult. h. t.* Et quamvis actor condemnari non possit, ad absolute restituendum, cum exceptio non fiat ad impetrandam restitutionem, sed ad excludendam tantum actoris petitionem, condemnari tamen potest ad restitutionem sub conditione, si scilicet ulterius agere velit. Sunt tamen etiam plures casus, in quibus exceptio spoliationis contra spo-

liatorem opponi non potest, si scilicet periculum sit in mora, si praecise officium Iudicis impleretur; si spoliatus conveniatur ex promissione iuramento firmata, in causa matrimoniali, & aliis spiritualibus; si factum sit notorium, &c. videtur etiam *c. Super spoliatione. 4. h. t.*

§. III.

An, & qua ratione, si in iudicio incidat quaestio praedicialis ipsi casui principali, prius de causa seu quaestione incidente cognoscendum sit, quam de causa principali?

SI in causa ad Iudicem secularem deducta quaestio incidat, quae quidem ad forum Ecclesiasticum pertinet, hoc hujus tamen decisione in causa principali pergi non potest, non debet prius Iudex Secularis cognoscere super causa principali, quam illa incidens quaestio a Iudice Ecclesiastico decisa fuerit, cum ab huius decisione dependeat illa *c. Tunc. h. t.* ita ut Iudicis secularis, quoad causam principalem, suspensa maneat jurisdictione a Iudice Ecclesiastico hac praedicialis incidens decisa fuerit, ad cuius tribunal tunc quaestio incidens ratione spiritualitatis pertinet. Quin imò in casu per se & ex objecto suo spiritualibus, Iudex Ecclesiasticus potest Iudex Ecclesiasticus, vel ex proprio motu, vel ad instantiam partis inhibere Iudici seculari, ne in causa principali agat aliquid, antequam incidens illa decisa fuerit. Quod si tamen causa principali coram Iudice seculari jam mota, quaestio praedicialis incidat ad forum Civile pertinens, potest quidem Iudex secularis etiam de hac inci-